

DEO DUCE
EXERCITIUM ACADEMICUM,
OPERATIONES
INTELLECTUS
HUMANI

Quatenus sunt

OBJECTUM
LOGICES

leviter adumbrans,

Quod

Adprob. Ampl. Senat. Phil. in Reg. Ac. Aboensi,

SUB MODERAMINE

VIRI Adm. Rever. atque Amplissimi

DN. MAG. JOHANNIS
HAARTMAN,

Phil. Th. Prof. Reg. & Ord. h. t. Dec. Spectab.

Publ. Candidorum Censuræ modeste subicit

S:æ R:æ M:TIS Alumnus

IOHANNES FORTELIUS

Biörneburgensis.

In Aud. Maj. d. D. V. 15. Martii 1729.

Horis ante meridiem solitis.

ABOÆ, Ex Officina MERCKELIANA.

NOBILISSIMO DOMINO
DN. SIMONI
LINDHEIM,

Regii Dicafterii Aboensis ADSESSORI gra-
vissimo, ut MÆCENATI atque PROMO-
TORI Magno, ita humillima mentis
veneratione suspiciendo,

Justitiae Cultor, juris Promotor & aequi,
Ambiguos rerum casus qui volvis, & artem
Cautus deprendis fraudis technasque dolose:
Qui prompta refoves doctrinã mente sagacem,
Qua

Qua sine nil tentare boni, nil utile posse
Decerni censes, equas si pandere leges,
Et velit infestas iudex componere lites,
Forſitan unde Tuas veniam mirari ad ades:
Cur tua Mæcenas O Maxime lumina ſupplex,
Nunc hoc ſuſtineam parvo laſſare libello,
Erigor exemplis ſoliti, Patronæ, favoris.
Litterulas igitur blando jam ſuſcipe vultu,
Meq; Tuum ſemper dignare favore Clientem.
Semper hinc nos maneat, nomen, doctrina pe-
rennis:

Atq; ſatur vitæ, meritis Celebrandus 5 annis,
Letus in æternas tandem gradiare tabernas.

Magni Nominis Tui

Humillimus Cultor
JOHANNES FORIELIUS.

admod. Rever. atque Præclariss. Viro

M^{AG.} ERICO
CAJANO,

Pastori Ecclesiarum Cronobyensium meriti-
tissimo, & adjacentis districtus Præposito
laudatissimo, Patruī loco æternum
suspiciendo.

VIRO Plur. Reverend. atque Clarissimo

D^{N.} JOHANNI CAIANO

Ecclesiarum quæ Deo in Lochto colliguntur
Pastori longe vigilantissimo, Patruī loco
semper venerando.

Speçtatissimo atque Consultissimo VIRO,

D^{N.} PETRO STÅHLFOOT,
Consuli Civ. Arctopolitanae Æquissimo,
Adfini meo honoratissimo

*Præbeo Vobis, Patroni atque Iautores exer-
quo t rite a g; scite sic conscriptum paratur g;
structuram, qua se supra omnes extendit,
contemnendum. Suscipite ergo serena
venerabundi animi documentum*

Nominum
Cultori humillimo

J.

Plur. Rever. atq; Clarissimo Domino

**D_N. JOHANNI
POLVIANDRO,**

Pastori in Cumo laudatissimo, ut Fautori
certissimo, ita ad cineres usque
devenerando.

Plur. Reverendo atque Doctissimo VIRO,

D_N. MATTHIÆ KIMAN

Animarum quæ Christo in Rrby colligun-
tur, Pastori multo vigilantissimo, Fau-
tori atque Patrono optimo.

Spectata dignitatis atq; prudentia VIRO,

D. ALEXANDRO AVEMAN

Mercatori Civ. Biörneburgensis lauda-
tissimo, adfina honorando.

*citium quoddam Academicum, non quidem,
sed ob dignitatem materiae, & mediocri
& ad rationis contentam culturam, haud
mente, quod vobis in gratisimi atque*

offerro, & semper favete
Vestrorum
atque officiosissimo

F.

Consulto atque Prudentissimo VIRO

Da. Iohanni Kelandro,
Curiā Arctopolitanā Consiliario æquissimo,
Fautori atque affini æstumatissimo.

Consulto atque Prudentissimo V.RO,

Da. Nicolao Gottleben,
Senatori Curiā Biörneborgensis honoratissi-
mo, Cognato omni officio prosequendo
Spektate dignitatis atq; equitatis VIRO,

Da. Nicolao Gabrielis
Keckonio,


Mercatori civitatis Biörneburgensis lauda-
tissimo, ut consanguinitatis vinculo mecum
obstricto, ita quovis honore atque
amore colendo.

Movet me, Fautores honorandi, præter
affinitatis atque consanguinitatis vin-
culum, quo Vobis devincior, beneficiorum
in me congestus cumulus, ut has studiorum
meorum primitias Vobis dicatas atque con-
secratas vellem. Recipite igitur hoc quidquid
est munusculi benigno atque sereno vultu, &
me in posterum quoq; benevolentia Vestra am-
plectimini, prout & ego polliceor permanere.

NOMINUM VESTRORUM

Cultor observantissimus

J. F.



I. N. 7.



Luribus ratio esset imbecillitatibus obnoxia, nisi etiam studium philosophiæ rationalis illi iret suppetias; pluribus item perceptio veri exposita difficultati-

bus nisi per præcepta, rationis cultura adjuvaretur, & jugis ubique exercitatio faceret utramque, ut ajunt, paginam. Quis ergo est nostrum, qui communis ruditatis pertæsus, rationi excolendæ nolit dare operam, ut sublimiora etiam capiat, ad excelsa erigatur, & jucundissimis quibusvis fruatur voluptatibus. Quis genuinæ Logices disciplinæ, quæ huic fini inservit maxime, non etiam aliquod impendat tempus? quippe quæ non tantum viam quibusvis pandit ad spatiosissimum rerum jucundissimarum campum, & diligenti inquisitori fores ad arcana naturæ reserat; verum etiam cavet, ne intellectus rerum

multitudine obruatur; adfinitate confundatur; diversitate distrahatur, & obscuritate seducatur. Cujus artificio quoque homines quidquid optimum & præstantissimum est in quolibet objecto, inveniunt, non secus ac in aurifodinis pretiosissimum aurum. Cujus ope etiam vitia sensuum corrigere, morbos animi dispellere, & quasvis difficultates tollere discimus. Mihi votorum atque studiorum maximum inter alia fuit rectum ratiocinandi studium. Cumque jam mihi edendum esset specimen aliquod Academicum placuit inquirere, quatenus ipsæ Mentis nostræ operationes, nobis ratiocinaturis sint constituendæ ipsum Objectum Logices. Quod ut DEO T. O. M. fiat Duce, Te Lector candide, benevolo interprete, ut par est animitus precamur atque contendimus.

SECTIO I.

Rationem diversitatis in formalis objecti Logici consideratione, & veram ejus formam tradit.

§. I.

Quamvis omnes in præceptis Logicis tradendis aliquando forte conveniant, in objecti tamen consideratione atque attributione multum inter se discrepant. Expositiones suæ sententiæ omnes copiose indicant, argumentorum tamen pondera, aut leviter attingunt, aut veris eorum causis subtractis, apparentes constituunt.

Heic alia non datur ratio inveniendi verum, quam *oppositionis leges* accurate considerare, & *obscuritatis causas*, præcipue in interpretando, evolvere, quas magno cum judicio recenset *Syrbius* in *Instit. Philos. rationalis*.

§. II.

Ad quam difficultatem tollendam multum adjumenti accedit, si simul cum variis *Logices significatibus*, & vocis *Objecti distinctionibus* observetur ortus atque progressus hujus controversiæ, quem nobis *Philos. Vetus & Nova Burgund.* patefacit. Exinde scilicet, quod plerique non satis accurate distingvant *res*, quæ tractantur in Logica; *instrumenta*, quibus utitur ad ve-

ritatem inveniendam; *actiones* ipsius *mentis*; *signa* denique, quibus mens utitur, ut suos conceptus exprimat. Hinc promiscue sua sibi plerique annotarunt objecta consideranda, sub ea formali ratione, quæ maxime ad similitudinem veri atque intentionem suam pertinere videbantur. Verum cum veritatis studium in eo potissimum consistat, ut quis à partium studio liber, res, prout in una qualibet disciplina formaliter considerandæ sunt, cum rationibus suis perpendat atque explicet, nec sine causa quidquam illis addat, nisi quæ ad peculiarem tractationis modum maxime faciunt. Magnum igitur hic requiritur studium, ut rei tractandæ sua constet perspicuitas atque evidentia, & assertiones contrariæ sententiæ vim suam aut amittant penitus; aut propriam considerandi formam patefaciant.

§. III.

Prolixum autem foret, per singulas omnium cundo rationes demonstrare, quem potissimum modum investigandi veritatem præbeant variorum objectorum diversi considerandi modi; quid in illis maxime fini ultimo respondeat; quid cujuslibet

bet auctoris proposito convenientissimum, & quæ singularis vis cuique insit operationi veritates necessarias investigandi atque applicandi. Satis ergo erit, paucis heic innuere, operationes intellectus potissimum in Logica seu disciplina rationali considerari, quatenus eas ad veritatis consecutionem objective dirigit. *Minime intellectus hic spectatur ut facultas mentis in substantia sua, nec quatenus per corpus operationes suas exerit, sed ut operationes ejus diriguntur, ad inveniendam veritatem, eandem investigandam & cum aliis communicandam, ut loquitur Hilligerus in Insti: Log. Eccles.* Illæ enim veritates, quæ de mente secundum naturam spectata, aliquid tradunt, ad *Psychologiam* pertinent, verum quæ de eadem dirigenda ad veritatem agunt, *Logicae* considerationis sunt, *ad isis Rôtenbecc.* in Logica V. & N. item *Goueanum* in parte speciali artis sciendi.

SECTIO II.

In operationum intellectus formalem considerandi modum, in Logica, juxta instituti nostri rationem, plenius inquirat.

Qui igitur ex Logicis de rerum veritate plenius atque explicatius instrui cupiunt, illis operationes intellectus, ad hunc finem maxime dirigendas, summo studio peruestigasse conducit. Quia per has anima suas exserit vires, ad penitus percipiendas res quascunque. His de modo investigandi & imprimis de evidentia conclusionis iudicium ferre debet. Ex illis veritatis abditas rationes manifestat, & omnium idearum nexus atque cohesiones patefacit. In eo vero maxima ejus opera posita est, ut summo studio inquirat, quo potissimum modo, ob quas causas, rectum iudicium de rebus pertractandis feratur, quemadmodum pro diversitate circumstantiarum atque operationum variaverint; an contrariis sophistarum argumentis destruantur; quibus rationum ponderibus confirmantur, & quantum valuerint in adplicatione ad utilitatem atque felicitatem vitæ humanæ promovendam. In his accurate disquirendis, cum disciplina hæc studium potissimum collocat suum; ita etiam fieri, illud non potest, nisi intellectus functiones in rite hęc peragendis primum dirigantur atque

atque subleventur. Inprimis igitur diligenter inquirendum, quibus potissimum rationibus intellectus ad perfectionem operationum suarum ducatur; quibus fundamentis nitatur, & tunc prudens rerum inquisitor atque veritatis amator observare potest, quid pro vero apprehendere, quid pro falso repudiare debeat. Nec hoc sine auxilio hujus disciplinæ singulari utiliter procedit, ideoque ejus dirigendi modum, circa intellectus operationes, præcipue occupatum esse, hinc quoque patet.

§. II.

PRæterea his operationibus intellectus absolvitur, quidquid est argumenti Logici, Illæ universum hujus disciplinæ habitum aptissime & sine defectu ad finem consequendum & cum aliis communicandum, exhauriunt. In omni enim exercitio terminorum atque præceptorum, tam late hæ functiones mentis patent, quam scientia hæc in veritatis inquisitione atque accommodatione sese extendit. Speciem quoque atque distinctionem ab aliis disciplinis, hæ operationes, per formalem considerandi rationem, tribuunt atque adsignant. Hæc autem est propria ejus & ab aliis diversa ratio,

tio, ut humani intellectus operationes ad veritatis consecutionem per instrumenta sua dirigat atque conformet, regulasque ipsis præscribat, quibus perficiantur, & ita disponantur, ut clare atque distincte de rebus judicare atque concludere possit. Hinc etiam satis commode *rationalis scientia* audit, & bene definitur *ars recte cogitandi, vel ratione recte utendi*; quia subministrat ejusmodi instrumenta, quæ ad exercitium rationis requiruntur, & per quæ eandem in *apprehensione, dijudicatione* atque *rationatione* dirigit ac perficit. Quatenus itaque ratio denotat, complexum omnium operationum, quæ ab animæ potentia superaddita, peraguntur; ita quoque scrinium est thesauris pretiosissimis repletum, quod si artis Logicæ claviculis reclusum fuerit, ad oculum cuique splendida ejus suppellex, vis atque potentia operandi adparebit.

SECTIO III.

Primarias intellectus operationes, sub hac formali ratione, in hac disciplina commode considerari docet.

§. I.

Post declaratum considerandi modum, studium nostrum versabitur in expositione pleniori probatæ sententiæ, secundum mentis peculiales operandi actiones, actu directivas. Cui ansam suppeditat nonnullorum assertio minus probata, hæc nempe: *quod prima mentis operatio hinc plane exciudi debeat, & non nisi preliminaliter tantum in hujus disciplinæ tractatione considerari.* Putant enim in terminis sive ideis, neque veritatem, neque falsitatem contineri, quoniam, nec quid verum, aut falsum affirmant negentque, & illos tantum actus Logicæ considerationis esse, qui directione opus habent, & à veritate aberrare possunt. Conferas Aristotel. in Lib. 3. Anal. Cautione igitur hic opus est, ne quis diversos operationum effectus, in veritatis investigatione ita consideret, ut primam perceptionem plane excludat, & reliquis omnia vindicet. Nam licet per *actum* tam *judicativum* quam *ratiocinativum* solidior atque purior sit veritatis cognitio, sua tamen etiam relicta est veritatis perceptio actu *apprehensivo*, quamvis leviori modo, ut res & intellectus in repre-

B

sen-

sentando fiant conformes. In Logicis quidem verum falsumque explicari consuevit, nonnisi de propositionibus, quibus aliquid affirmatur, aut negatur, quatenus nempe idea, in se nec ad objectum suum, nec ad aliam ideam refertur, ut eidem respondere, vel non respondere, judicetur. Quum autem idea quælibet refertur ad objectum aliquod, *perceptioni tum simplici, atque complexi sive enunciationis*, veritas nullo modo deneganda. Ut adeo *idea realis* seu perceptio rei vera, forum Logicum ingrediatur, licet illud per se non absolvat, plures enim actus requiruntur quam ut ad liquidum perducatur & manifestari possit.

§. II.

Hic actus percipiendi in plerisque sæpe præciso iudicio, quædam componit atque dividit, ut intellectus lumen, per attentionem in objectum suum convertatur, & exemplar ejus in se percipiat, non tamen apprime attendendo, an sint composita vel divisa, nec ne. Aliquando etiam iudicium cohibet atque suspendit ex dubitatione, non tamen illa perpetua *Scepticorum*; nec illa universali *Cartesianorum*; sed

sed temporaria atque sobria *Eclecticorum*,
 conjuncta cum fundamenti boni assensus
 inquisitione. Hæc enim præjudiciis præci-
 pitantiæ atque auctoritatis medetur; rem
 sub examen justum vocat; ad circumstan-
 tias paulo penitius attendit, quo clarior
 atque solidior de eadem acquiratur cog-
 nitio. Si vero alius inordinatus procedendi
 modus hic servatur, nec ad prima statim
 momenta advertitur, errorem propignit,
 & homines ad ceteros actus ineptos reddit.
 Non minima enim sapientiæ humanæ est
 pars, modum processus recte dignoscere,
 & cogitationes suas in prima rei contem-
 platione rite atque ordinate disponere. A-
 lias nisi hic primus cognitionis actus fuerit
 rebus percipiendis adæquatus, qui velut
basis eruditionis appellatur, quomodo re-
 liqui actus huic superinstructi responde-
 bunt? Nemo autem præjudiciis experts ne-
 gaverit, ex veritate in prima operatione
 intellectus duarum aut trium idearum con-
 venientiam atque conformitatem in subse-
 quentibus dependere, quoniam non aliter
 de rebus judicamus ac concludimus, quam
 ut eas primum percepimus. Hinc prima
 rerum apprehensio, ut veram indolem ob-
 jecti sui sequi debet, ita quo magis vera

atque adæquata fuerit, eo plus veritatis in se continet, & lucis sequentibus adfert, ut adeo *fições, præsumtiones, postulata jejuna*, hinc excludantur, notante *Hiligero in Log. Ecclæ.* Vel ob id magis veritas primæ operationis asserenda est, quod, ideæ in ea formatae, cum ceteris majorem habeant affinitatem atque utilitatem, ut causæ harum proximæ in illa quærendæ sint. Quis enim rite judicare & ratio cinari possit, nisi cui primæ functionis primum innotuerit ratio. Aut quid utilitatis exinde sperandum, ubi attentione contempta, nil aut veri aut falsi consideratur, sed res in dubium relinquitur.

§ III.

Verum enim vero, quamvis non omnia, quæ rebus insunt, prima statim contemplatione exhauriat intellectus, sed plurima adhuc in evidentiori relationis collatione cognoscat, non tamen illi suæ constitutionis peculiaris consistentia deneganda, quæ non in nuda tantum terminorum consideratione consistit, sed magis in *simplici idearum impressione atque veritatis conceptione*. Nam ante omnia respicit convenientiam aut disconvenientiam potentiæ

cognoscentis & objecti cognoscendi, unde conformitatem aut difformitatem conceptus cum re concepta vere percipit. Et tum rem vere percipimus, quando res conceptui & conceptus rei in relatione æqualitatis atque conformitatis respondet. Omnis enim veritas *in relatione quam conformitatis aut æqualitatis posita est*. Docente Philosoph. Burg. Quapropter, quoniam objectorum cognitio in idearum nexu atque relatione intricatior est, quam ut simplici apprehensione prorsus aut possit aut debeat explicari, ut sequatur quæsitæ certitudo, non attentionem in prima consideratione duntaxat adhibuisse, juvat, sed plurimi etiam alii actus accedant oportet. A prima simplici perceptione ordiendum, gustusque veritatis inde hauriendus, donec leviter juncto judicio, differentia in gradu imperfecto attendatur, & veritas aliquatenus cognoscatur. Huic succedunt posteriores intellectus operationes, utpote *potentia componendi*, cujus proprium est affirmando atque negando objectum suum nudum judicandum proponere; & *ratiocinandi*, quæ ex tertia adsumpta idea notiori, combinationem duarum priorum perficit, ut aliquid inde inferat, cujus ratiocinii effectus est ju-

dicium illativum, in quo proprie atque specificè veritas aut falsitas est. Prior modo quodam excellenti, cognitionem veritatis fert; posterior eandem distinctè probat; ideo hæ posteriores operationes veritatem clarius manifestant atque proponunt, quod prior pro modo levitatis suæ facere non intendebat, sed potius sine iudicio addito objectum suum apprehendere, & simul veritatis evidentiori disquisitione locum parare.

SECTIO IV.

Contrarias nonnullorum philosophorum sententias examinat atque diluit.

§. I.

DEclarata formalitate considerationis circa scientiæ rationalis objectum occurrit erronea quorundam philosophorum persuasio, qui cæco quasi impetu statuerunt, *nullum errorem intellectui inesse, & sic nec directione Logica opus habere*, cum vere omnia intelligit nec periculum lapsus habet, sed potius omne errandi incommodum,

dum, quemadmodum etiam veritatis indicium, ex parte voluntatis nostræ dependet. Hinc quoque iudicio omnem acquisitæ veritatis cognitionem adsignarunt, prout etiam iudicium ad voluntatem tantum referre constituerunt. Sed qui penitentiorem intellectus humani conditionem atque faciem adspexerit, cumque in vario suo habitu incedentem, variisque potentiis corruscantem, cum voluntate comparaverit, is evidentiores & lucis & claritatis perceptiones animadvertet. Quibus enim modis inter se conferantur, & quacunque ratione actiones utriusque considerentur, manifestissima erit animæ operandi ratio in diversis hisce suis facultatibus, ita ut operationes edant suæ potentiæ convenientes, prout quoque distinctæ sunt virtutes. Quemadmodum etiam utriusque defectus atque aberratio plane non convenient, licet ex una depravatæ naturæ squalidissimo fonte promanent, fluentque. Quoad priorem, intellectus ratio potissimum in cognitione veri consistit, quemadmodum ejus defectus in aberratione à norma veritatis positus est. Quoad posteriorem vero, constat ejus rationem imprimis ex determinatione ad bonum dependere, sicut pravitatis

vitas *in errore* sese ultimate prodit. Hinc rationibus demonstratur *falsitatem nullam esse nisi in intellectu, & errorem simul in intellectu atque voluntate.*

§. II.

Hujus assertionis veritas erit manifestissima, si intellectus facultatem, juxta *percipiendi, judicandi atque ratiocinandi* actiones accurratius consideremus. Non enim maxima tantum angustia cognitionis laboramus, ut multa nobis maneant incognita, sed sapissime etiam rem aliter ac se habet, percipimus. Hinc *ignorantia atque error seu falsa idea* in intellectu oriuntur. Obscuritatis atque confusionis aliquando etiam tanta est mixtura, cum varix ideae inter se confunduntur & ex nimia coagmentatione accidentales rerum conceptus cum essentialibus miscentur, ut quid verum, quid falsum sit discerni vix possit. Ex his igitur falsitatem atque errorem primæ perceptionis tanquam ex eventu metimur atque dignoscimus. *Atque hoc cum quotidie fere mortalibus eveniat, illis qui negant, dari in prima in intellectu operatione errorem & falsitatem, suffragari nulla ratione possumus, dicit*

Buddeus in Elem. Philos. Ex ipsa quoque erroris definitione hoc ipsum evidentissime patet. *Est enim error sive falsum difformitas ideae & rei conceptae*, quando nimirum de re aliam formamus ideam, ac illa in sua natura est. Nullus igitur error datur in rebus ipsis, sed omnis ex falsa intellectus perceptione ortum suum habet. Ex his intellectus succumbentis imbecillitatibus atque vitiis, multa sunt enormia facta, plurimæ operationum decessiones, licet excessus ejusmodi leviores parum sentiantur non aliter ac in monstruosa rerum confusione ad minora vix advertitur. Quum igitur in functionibus mentis peragendis insignis defectus deprehendatur & aberrationum inordinata series atque multitudo observetur, maxime exinde quoque concluditur de difformitate conceptus cum re concipienda. Sæpe in rebus suo modo perfectis ignotæ delitescunt corruptionis atque imbecillitatis causæ, quæ exitioso tandem earum interitu sese produnt. Idque non in exiguis tantum additamentis aut accessionibus extrinsecus accidentibus, sed maxime in essentialibus, & iis quæ nostro concipiendi modo unice ad indolem rei penitus intelligendam, maximi mo-

menti esse videntur. Minime igitur cum *Christ. Thomasio* primam intellectus operationem circa rerum tantum existentiam occupari asserimus, & sic *falsum existentiae* tantum dari, quin potius, præeunte *Hillegero* statuamus, *falsum* quoque *essentiae* dari, quando essentialis rei conceptus formantur erronei, item *falsum contingentiae*, quum accidentales falsæ ideæ de re concipiuntur.

§. III.

UT in ideis simplicibus perperam conceptis atque formatis, falsum reperitur; ita quoque idem ad actus ceteros emanat & se diffundit; talis enim in subjectis campis reperitur aqua, qualis a fonte suo dimanavit. Malum ex corruptis fontibus saliens, & ex connatæ labis venenata radice pullulans, in non advertentem intellectum latissime se spargit, totumque recte rationis campum contaminat. Sæpiuscule nec spes, nec labor assiduus felicem quæsitæ rationis modum atque exitum retinuisse atque obtinuisse deprehenditur. Aliquando in totum à via ad devios Syrtesque aberrat intellectus, conjungendo quæ separanda, & separando quæ conjungenda erant,

erant vel etiam nimium extendendo ideas universales, & coarctando particulares, vel vice versa. Hinc Buddeus: *Non minus errat, qui affirmat, quod negandum erat, quam qui de omnibus aliquid pronunciat, quod tamen de quibusdam tantum verum est.* Nonnunquam etiam in ratiocinationis tam *materia* quam *forma* variis gravissimisque erroribus seipsum impedit. Et licet hi ratiocinii errores præter opinionem aliquando ex iudicii infirmitate atque præcipitantia etiam nobis invitis, exoriri videantur; reperiuntur tamen studio interdum, non minus ex intellectus vitio, quam voluntatis malitia, ad alios decipiendos facti atque ficti: Unde sunt, manentque veri nominis errores & morbi intellectus. Hac ratione, non tantum in scholis eruditorum & disputationibus, sed etiam in quotidiana conversatione, falsas ejusmodi ratiocinationes deprehendas, immo, in quovis vitæ genere, indies adis *Buddeum, Clericum, Hilligerum* aliosque.

SECTIO V.

Alias in hac materia adhuc occurrentes difficultates paucis enodant; veram deinde rationalis discipline dirigendi rationem, circa intellectus operationes, ostendit; Et tandem totum hunc discursum ad finem perducit,

§. I.

UT ex jam dictis facile cuivis constare poterit, in actu *Directivo* occupari Logicam, quæ operationes intellectus certas, ad certum finem, certis præceptis dirigit atque ducit: Ita *Præctivam* imprimis heic considerandam esse putamus, cum dicimus eam versari circa *objectum operabile, modo operabile atque præctico*, movendo scilicet atque dirigendo intellectum humanum juxta naturæ artisque media atque organa ad veritatem vel inveniendam, vel aliis communicandam. Hinc *Darbau. si prudentia præctica est, quia est directiva actuum*

actuum voluntatis: Logica quoque practica erit quia dirigit actus mentis, in Idea B. Inter. In praxi enim, seu operationum intellectus nostri, variis morbis debilitati, ad rectitudinem iterum deductione, maxima & praecipua Logices consideratio erit, quomodo eadem recte per artis regulas sic in accommodatione atque applicatione ad usum non modo, sed etiam ad finem suum, dirigantur, ut actioni respondeat fructus, veritatis impedimenta amoveantur, mentis non orbi evitentur, & tandem rectitudo, seu veritas Logica introducatur. Sunt quidem qui in hisce plerisque deficiente integro & bene ordinato, disciplinae genere, rite aliquando sese expediunt, ex naturali ingenii sui perspicacitate, praesertim cum immunes sint eorum errorum, qui alias humana industria evitari possunt, non tamen in illis etiam omnibus recte se gerunt, nec in intricatioribus veritatem attingunt, sed vel desperant, vel dubitant, judiciorum rectitudinem demonstrare non valentes. Haec vero omnia institutio subministrare potest, ideoque in ejus pertractatione non omittenda; alias neque de fine consequenda spes erit, neque in mediis recte constituendis plena atque

solida scientia. Hinc *Cla; Syrb. in Institut. Phil. primæ.* Existentiam atque necessitatem hujus doctrinæ ex eo probat, quia fieri non potest, ut ista operationum mentis ad finem relatio recte expendatur aut etiam dirigatur, nisi hoc ipso efformetur doctrina.

§. II.

REstant nonnullæ difficultates circa enodationem hujus rei minus contemnendæ: *prima, quod operationes intellectus, seu operandi facultates ejusmodi naturales, mediorum potius loco ad obtinendum finem Logices ultimum, nobis datas esse videantur, & non objecta operativa dici.* Concedo equidem illud, si eas ut potentias menti superadditas, & non juxta peculiarem directionis modum in actu, ut operabiles atque dirigibiles, considerare velimus, siquidem iisdem tantum nobis datum est varias cognoscere res. Cum vero in praxi & relatione ad finem eas consideramus, *objectum operationis* etiam dici possunt, cum ab ista operationum ad finem relatione atque directione universa doctrinæ hujus structura dependeat, & ultimate ad easdem perficiendas tendat, mul-

multumque adjuventi adferat. *Altera* maxime difficilis atque contraria sententia, quæ primo *intuitu* nostram videtur destruere mentem hæc est. *Quod præcepta, quibus dirigenda cognitio est, & media, quibus perspicenda mens, operationibus primum intellectus tradi atq; præscribi debeant;* harum proinde imprimis habendam rationem, ut illis rectitudinem, inesse debitam, & ad finis consecutionem necessariam, introducere possit. Et sic *subjecti informationis seu operationis* potius nomine veniunt, quam *subjecti sive objecti considerationis atque occupationis*. Hæc vero difficultas, adhibita distinctione, in prioris occupationis expositione allata, tollitur, nempe mentem sive intellectum heic considerari non *in potentia* sed *in actu*, quatenus nempe ejus operatio rectificanda atque ad veritatem dirigenda est, quam nobis suppeditat D:ns Stebach *in Introd. Logices ad Juris scientiam applicate*. Intellectus quipè cum suis operationibus *subjectum informationis* dicitur, in quantum directioni Logicæ subjicitur, ut præcepta Theoretice ipsi proponuntur, ut deinde ad usum pro re nata adcommo- dentur, & finis simul ultimus introducatur.

tur *Subiectum* vero *considerationis* appellatur, quatenus ei substeratur, ut materies scientiæ, vel potius fini quam finis operationibus, in praxi accommodetur. Nam si in praxi hujus disciplinæ, neglecto fine, ad operationes tantum attendatur, præcepta omnia coacta fient; sed si intellectus juxta artis hujus ductum fini suo accommodetur atque applicetur, nihil obstat, quo minus etiam operationes ejus *speciatim* dirigantur, *objective* tractentur, *artificiose* ex vitiis variisque imbecillitatibus liberentur & rectitudini suæ, quantum humana industria fieri potest, in percipiendo, dijudicando atque ratiocinando, perficiantur. Id enim dicit *Danbarw. Ep. Dial. discipline alicujus practicæ objectum est, cui finis illius discipline insunditur*; jam vero *oratio* tam interna quam externa illa est, quæ opus habet directione Logica & discretionem veri à falso tam in *Synthesi* quam *Analyti*. Hinc *Rothenbeccus* distinguit inter *objectum primarium* & *secundarium*, prius intellectus nostræ operationes; posterius sermonem esse dicit. Quod & ipsa vis Ethymologica vocis Logicæ innuere videtur, indicat enim in ejus tractatione considerandam esse,

non

non tantum rationem, sed etiam orationem, quamvis id fiat *secundario*, & non alio respectu, nisi in quantum internorum actuum intellectus interpret, signum atque nuncius est, per quam animi cogitata foras quasi feruntur atque cum aliis communicantur. Unde enata est quibusdam recentioribus hæc *Logices ars* sive ab objecto desumpta, in *rationalem* & *sermonalem*, utpote quæ fundamentum tam in *nominali* quam *reali* vocis descriptione habet, obtinetque, ac latitudine sua totum objectum considerationis includit. Ab hac parum differre videtur divisio in *Geneticam* & *Analyticam*, nostri & aliorum causa facta.

§ III.

Quemadmodum vero ex jam dictis constat *subjective* in ratione seu intellectu directionem Logicam fieri, & *terminative* ad eandem perficiendam applicari ita quoque ex iisdem fundamentis atque rationibus animadvertimus, finem doctrinæ dirigentis cum fine subjecti dirigendi prorsus eundem esse, quemadmodum etiam *subjectum informationis* cum *subjecto considerationis* suo modo coincedere, a-

lias subjectum dirigeretur ad finem alie-
 num. & objectum non tenderet ad recti-
 tudinem in subjecto introducendam. Coin-
 cedunt hi termini, hoc respectu quoad
 rem, & non nisi ratione differunt, scilicet,
 Intellectus cum suis operationibus est
subjectum informationis Logicæ in respectu
 ad præcepta quibus informatur, item ra-
 tione finis quæ ei accommodatur: *obje-*
ctum autem considerationis, quatenus ni-
 mirum ita est dirigendus ut cognita sit
 ratio formalis, sui & aliorum causa
 exinde perfectionem atque rectitudinem
 Logicam introducens atque fini adcom-
 modans. Quatenus enim *res speculativa* est
intellectus & finem suum respicit, ad eum
 consequendum sese adplicat, ab ea *disci-*
plina quoque, in qua finis iste proponi-
 tur, qua specialiora minimum, dependet
 atque dirigenda est. Singularis igitur at-
 que præcipuus labor erit, ut intellectus
 juxta directionem hanc, in *perceptione rei*
primæ, claras atque distinctas sibi formet
 ideas, quas iterum collatione rationum
 evidentiori perpendat; quia sic potissimum
 via tutissima paratur ad considerandum pe-
 nitius res, & formandum judicia ipsis re-
 bus convenientia. Hæc non verosimiles
 aut

aut apparentes rationes novisse sufficit, sed animæ facultatem suis operibus atque periodis distinctam quoad operandi vim atque modum considerasse decet, immo explorasse juvat. Hanc methodum tractandi Logicam per mentis operationes recentiores quidam Philosophi, evidentiori forte modo, quam à veteribus factum, optimam duxere. Nec sine causa ex earum enim haud vulgata contemplatione, secundum eam, quæ in Logicis servari debet, dirigendi atque considerandi rationem, intellectus magis ad attentionem rei perducitur, erudita idearum instituitur collatio, unde demum tempestiva ratiocinandi evidentia percipitur atque animadvertitur. Si vero in his omnibus à directione hujus scientiæ deflecterét mens, cogitationum maxima exoriretur confusio, atque operationum nefanda mixtura, quæ evidentio rem rei perceptionem obscurarent, judicium sanum perverterent, adeoque sic veri cognitionem impedirent.

§. IV.

Optimam adhuc medelam atq; dirigendi rationem suppeditat hæc doctrina in eo, quod res intento animo & velut defixis

fixis oculis intueri doceat, ne leviter aut universim eas tantum attingamus. Diutius enim rebus investigandis atque per scrutandis inhærentes aut immorantes, penitius earum variæ latentis circumstantiæ nobis sese produnt atque manifestant. Proprietates autem vel rei adventitiæ, vel ad essentiam pertinentes, sive constitutiæ, sive consecutiue si non simul, sed per partes expendimus, & quid habeant cum ceteris commune, in quo ab iis dissentiant, si consideramus, tandem quoque si communes atque universales de iis notiones formamus, facilius erit via ad singulares deducendas conclusiones, in quibus omnis fere nostra cognitio posita est. Varia veritatis genera, imprimis *existentiæ*, *essentiæ*, *contingentiæ*, suo modo exinde resultant; Variè quoque eadem applicare atque accommodare, & nobis ipsis usui, & aliis utilitati discimus, quibus probe peractis, ratio tandem sana atque sobria excolitur, notitia perficitur, eruditio paratur, Divina quoque benignitas dignis effertur laudibus Ergo.

SOLI DEO GLORIA.

Fratri suo Charissimo

DN. JOHANNI FORTELIO

*Præsentis Disputationis Auctori & Re-
spondenti perindustrio.*

P*Ræsida per Docto, Logicorum Vindice
Magno,
Objectum Logices dum monstras Optime
Frater,
Hoc opus, hic labor est, doctis per cuncta
probari;
Sed mihi non animus, verborum Sermata
longa
Texere, sed licitis opto DEUS ausibus
adsit!
FORTELIO faveas, vis O sortissima, ab
alto,
Ut metam possit felix pertingere rectam:
Ut quoque Patroris gratus, dilectus ami-
cis,
Esse simul possit, Fratrum sic ultimus optat.*

PETRUS FORTELIUS,
Biörneburgeris.

DR. JOHANNES FORSTER

Präsident der Universität Göttingen
Königlicher Rat

Die Königl. Universität Göttingen
hat den Herrn Dr. Johannes Forster
zum Präsidenten ernannt.
Dieser hat die Ehre, die
Königl. Universität Göttingen
zu vertreten.

ROTHHELD

In Göttingen den 17ten März 1777.
Johannes Forster
Präsident

PRINTED AT THE

UNIVERSITY PRESS